



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm**

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.  
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,  
Regum ...

**Trithemius, Johannes**

**S. Galli, 1690**

Epistola Joannis Trithemij Abbatis, Quædam in suis Annalibus retractantis,  
ad Nicolaum Baseliæ ex Durckheim Monachum Hirsaugianum eruditum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38573**

EPISTOLA  
JOANNIS  
TRITHEMIJ  
ABBATIS,

Quædam in suis Annalibus retractantis, ad  
Nicolaum Baseliū ex Durckheim Monachum Hir-  
saugianum eruditum.

**L** Oannes Tritheimius Abbas, sacre Ædis Divi Iacobi  
Apostoli Maioris Würzburgensis Ord. S. Benedicti:  
Optimo Confratri suo Nicolao Baselio ex Durckheim  
Monacho Hirsaugiano memorati Ordinis Salutem,  
& sinceram in Domino charitatem. Magno &  
diuturno labore duo Volumina historiarum, sive Annalium insignis Mo-  
nasterij tui Hirsaugiensis auxilium Deo præstante (sine quo nihil possu-  
mus omnes) ad finem optatum vix tandem perduxī. In quibus non solum,  
quæ Monasterium ipsum & res Abbatum gestas concernebant, inserui,  
verum etiam quidquid in tota Germania nostra factum, & memoriâ  
dignum reperire potui, quod supputationi temporum conveniebat, per  
omnia coniunxi: quatenus Hirsaugiana venerabilis & sancta Con-  
gregatio habeat sui non tantum acta Cœnobij: sed totius quoque histo-  
riam Regni Germanici. In huius autem secundi Voluminis principio  
Rudolphus de Habsburg quondam Rex Germanorum occasionem dedit,  
quod originem gentis Francorum alitius quàm volui repetere, sum com-  
pulsus. Cuius rei gratiâ primos duos quaterniones, quos scripseram,  
necessariò abiici; propterea, quod communem secutus opinionem cum  
pluribus erraveram, qui Francos temporibus Valentiniani Cesaris (nescio  
unde) primùm in Germaniam venisse somniârunt: cum ex multis con-  
stet auctoribus, illos diu antè Sicambros dictos circa Rheni fluminis ostia

A 2

(ubi

An Hirsaug  
Jo II  
S.V  
15

(ubi nunc sunt Hollandij, Frisij, & Geldrij) sedes habuisse. Quod autem prius dicti fuerint Sicambri quam Franci, S. Remigius innuit: qui baptizando Regi Francorum Clodoveo dixit: Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendis: incende quod adorasti. Alios ergo in locum priorum quaterniones duos reposui: in quibus Hunibaldum secutus, veram originem Francorum breviter descripsi. Hinc factum est, quod mihi apud plures iuste videbor contrarius: qui & in primo Volumine, & in secundo (per inscitiam meam, fateor) sapius Regem Germanie (satis imperite) nominavi Romanorum, ac Regni Urbes dixi præter debitum imperiales: quod tamen non debere fieri manifesta est omnibus intelligentibus & Regni, & Imperij originem ac rationem. Item cum sit usus Curie Romanae, nullam sine Cathedra Pontificali scribere Civitatem, errasse me fateor, quoties Nürenberg, Franckesfort, Ulmam, vel quodcunque aliud oppidum (ubi non est Sedes Episcopalis) civitatem nuncupavi; quanquam eorundem incolas non loci, sed Regni cives dicere potuerim. His te propterea monuerim, ut si olim rescribenda fuerint hæc ipsa volumina, errorem corrigas: Regem Germanie: Imperium Romanis adscribas: Urbesque & Civitates Germanie liberas, non Imperiales, sed Regales potius nuncupandas fore intelligas. Hæc si volueris errata, citius emendabis. Scias etiam volo, quod annum incipio novum à prima die mensis Ianuarij: & non à die Nativitatis seu Annuntiationis Domini. Vale sanus & felix, tibi liber unitus, Deo placens, utilis posteritati, & ora pro meis ad Deum peccatis. Ex Peapoli XII. die mensis Aprilis, Anno Christi Domini MDXIII. ætatis meæ LII. completo. Abbatie verò tam isthæ, quam prius in Spanheim XXXI. Indictione Romanorum secundâ. Regis Maximiliani, Anno XXVIII.



JOAN-